



# Respuesta de la Comisión Pontificia para la interpretación de los decretos del Concilio Vaticano II

1) D.—Utrum recurri possit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectionem Alteram— adversus decisionem competentis Dicasterii, quoties defuerit decisio ex parte auctoritatis ecclesiasticae inferioris.

R.—Affirmative.

2) D.—Utrum admissio ad disceptationem illico communicanda sit parti dumtaxat ex adverso interesse habenti, an etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionem tulit.

R.—Negative ad Ium; affirmative ad IIum; seu admissionem ad disceptationem illico communicandam esse, praeter quam parti ex adverso interesse habenti, etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionem tulit.

3) D.—Quid intelligendum sit per comma **quoties contendatur actum ipsum legem ali-**

**quam violasse**, de quo in n. 106 Constitutionis Apostolicae **Regimini Ecclesiae Universae**.

R.—Pro violatione legis intelligi errorem iuris sive in procedendo sive in decernendo.

4) D.—Utrum in casu de quo in dubio tertio, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectio Altera— videat tantummodo de illegitimitate actus impugnati an etiam de merito causae.

R.—Affirmative ad Ium; negative ad IIum; seu Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectionem Alteram— videre tantum de illegitimitate actus impugnati.

SS.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 11 Ianuarii 1971 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, approbavit et publicari iussit.

Pericles Card. Felici, Praeses

